

tractâ, flamma hæctenus viva servata subitò emoriebatur, nec absque crepitu.

IX. Cum novus injiceretur scrupulus de metuendo vitæ periculo ex eo capite, quòd campana hæc lignea, atque adeò ex asseribus pluribus combinata, vix satis impicando muniri possit, quò minus aut aër per rimulas insensibiles erumpat, aut aqua paulatim surrepat; tametsi hoc idem, quod suprâ respondimus, hîc iterum potuissemus regerere, in casum scilicet ratiunculis quibusdam impugnari, quod res ipsa & factum jam comprobavit, ad eximendum tamen hunc etiam scrupulum campanulam nostram plumbeam, quæ, cùm funderetur, alicubi rimulas egerat cerâ postmodum oblinendas, nec tamen oblita ubique tam sollicitè fuerat, quin unico loco aërem transmitteret, aquis submersimus, tentaturi quantum temporis esset insumenturus aër intra ipsam conclusus, donec omnis ereperet. Erat autem campanula alta tres circiter pollices Rhinlandicos ac lata infernè totidem, supernè autem valdè acuminata; & tamen pauculus ille aër, per insensibilem illam rimulam bullatim enitens integrum horæ quadrantem & amplius insumebat, donec elaboretur omnis: ut facilè hinc esset conjicere, ex vasto illo campanæ ligneo spatio aërem copiosissimum per complures etiam rimas adeò celeriter effluere non posse, quin satis interim temporis Urinatori id facilè sentienti supersit, ad dandum sodalibus signum, ut in apertum aërem extractus periculum adeò lentè imminens effugiat.

X. His ita partim enarratis, partim oculo præsentis spectatis Phænomenis, operæ pretium videbatur, tum ex Architectura Navali Domini Witsen circumstantias quasdam singulares ad Urinatoriam campanam spectantes porrò adnotare, tum etiam locum ex *Verulamio* (qui sc. usum campanæ similisve machinæ non esse prorsus novum ostendat) multò luculentiorē adducere illo quem in *Auctar. Part. I. p. 3.* allegaveramus. Locus hic extat *Organi Novi Lib. II. Aphor.*

Phæn. XI.